

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Altera Paraenesis ad nobilissimam studiosam iuventutem  
Lipsiensem, super epistola D. Th. I. qua temerarias suas  
praelectiones de statu induratorum vindicare molitus est**

**Rechenberg, Adam**

**Lipsiae, 1701**

**VD18 11445297**


**urn:nbn:de:bsz:31-105733**

III

Gymn 4770

~~I B 2 12~~

g 9160







D. ADAMI RECHENBERGI  
ALTERA  
PARÆNESIS

Ad

*Nobilissimam Studiosam Juventutem  
Lipsiensem,*

Super

Epistola D. Th. I.

Qua

Temerarias suas Prælectiones

De

STATU INDURATORUM

vindicare molitus est.

---

LIPSIÆ,

Apud JOH. HEINICHII VIDUAM.

Literis RICHTERIANIS.

(1701)

19an Gym 4770

D. ADAMI SCHNEIDER

ALTE  
PARANESIS

Nobilissimum Studium Theologicum  
Episcopalis

Super

Epistola D. Th. I.

Temeritatis suas Praelectiones

STATI INDURATORUM

in diebus...

Apud JOH. HEINRICH. VIDUA

in...





eloquentiæ suæ artes strophasque adhibuerit, ut apud rerum divinarum imperitos, me suspectum falsæ doctrinæ redderet. Uti enim vindictæ & inanis gloriæ cupidus est; ita non ignorat, epistolas tam reverendo schemate insignes, sæpe sinistram de innocentibus suspicionem heterodoxiæ excitasse. Nihil quippe tam recte dici, tam innoxie defendi, tam candide suggeri potest, quod non malefana suspicio detorqueat in pæjus, & livor morsu suo non maculet atque conspurcet. Præcipue si *Orthodoxiæ* vocabulum velut velum iucrurato errori obtendatur atque magno cum zelo jactetur. Accedit, quod in publicum indies magis emergere ceperunt, quæ ante annum, & quod excurrit, in me cusa fuerunt malevolorum & insidiosorum hominum consilia; Rechenbergium ob certas causas heterodoxiæ reddendum esse suspectum, quibuscunque tandem id artibus effici queat. Gratum id quidem mihi, qui pacem, quantum licet, amo, parum accidit, nec unquam putassem, quod Epistolographus operam hac in parte suam tam promte atque liberaliter statim commodaturus sit; etsi invidia erga me illum, quod votorum suorum anno superiori omnium forte compos non esset factus, flagrare noveram. Sed tamen si ipsi licet impune Collegis insultare atque eos criminari, mihi nemo crimini dederit, si ejusdem strophas ac criminationes pari libertate diluam, virique impotentiam animi, atque divinæ veritatis cavillationes, invitus licet, manifestare sustineam. Tanta enim in ejus Epistola exacerbati animi documenta comparent, ut levî & velut tumultuaria opera ostendi atque refelli vix queant. Mihi vero ob temporis penuriam, & dierum festorum, qui instant, reverentiam, non licet, vitiligationibus tantum vacare, ac adeo par pari referre. Quare non mirabimini, *Viri-Juvenes cordati*, si non omnes Aristarchi coccyfmos hic repetam aut prolixè iterum refellam. *Occidit miseris crambe repetita magistros.* Ego, cum primum, quæ iste invidia mihi conflandæ causa, præfatus est, breviter discussis, aliquot *CAUTELAS* huic controversiæ evolvendæ necessarias præmittam, subitaneas dein in Epistolam stricturas additurus; ut qui prudentiores & a partium studio alieni sunt lectores, videant, in  
Epi-

Epistola non nisi coccyismos novis interpolatos strophis occurrere. Omisiss igitur verborum ambagibus, *tria* in Epistolæ proœmio statim *falsa* noto. *Primum* est, quod Censor temere a se motarum litium turbarumque culpam in me, qui ipsum nullo verbulo ante laceciveram, quam iste classicum adversus me publice ter quaterve cecinisset, transferre non erubescat. Quam culpam valde impudenter confictam, jam *I. & V. Additamento* prolixius dilui. *Alterum* est injusta querimonia; ac si ipsi de *statu induratorum* publice disputandi mecum, libertas fuisset præclusa. Hic vestrum, *Juvenes nobilissimi*, interest scire, falsum esse, quod per statuta Facultatis Theologicæ, non nisi in disputationibus, quæ pro gradu habentur, Theologiæ Doctoribus & Professoribus liceat opponentium munere fungi. Ipsi quidem per statuta liberum est opponendi spartam deprecari; licet tamen etiam iis, si velint, dubia sua opponere. Quemadmodum ante triginta & duos annos, cum ego nondum Theologiæ Baccalaureus, Præside B. D. Kromayero de *malesana in Theologia curiositate* disputarem, B. D. Scherzerus ultra horam me opponendo exercebat. Et cum postea Præside B. D. Rappolto de *Religionum Synæses* disputarem, is denuo, donec Licentiatii adventarent, opponentis vices gerebat. Quid? cur nuperrime ipse *Epistolographus*, salvis statutis, Dn. D. Jo. Schmidium nostrum ad opponendum sibi evocavit, qui eum satis erudite quoque exercuit? Calumnia autem est, quod me, nescio cujus collusionis cum Dn. D. Cypriano, qui per trihorium eruditissime opponentis vices obierat, haut obscure arguit. Illum, quia Respondens meus ipsi disputationem simul inscripserat, invitavi ad opponendum, quod munus declinare noluit. Sancte autem coram me contestatus est, ut si *Epistolographus* adfuisset, aut etiam Dn. D. Schmidio tum præsentî opponere collibuisse, se utrique locum relicturum fuisse. Quod & mihi gratissimum fuisset. Interim, ut est vir cordatus & veritatis amans, nihil quod studium veritatis attinet, affectibus hac in parte dedit, argumenta, quæ in medium attulit, fatetur, se ex *Epistolographi* & aliorum adversariorum scriptis diligenti opera collegisse & urfisse, ut omnes auditores no-

runt. Deum testatur, si Epistolographus adfuisset, qui non dies, sed hebdomadas plures in refutandis his scriptis sudavit, se non obsturum fuisse, quin totam offendiculi plenissimam litem una disputatione hac confecisset. Quanquam ipse *Epistolographus* magno cum supercilio jactat, non potuisse per unum trihorium ad examen revocari omnia absurda, quæ de statu induratorum sibi quippe ante ignoto comminiscitur; utpote quibus discutiendis ne integra quidem dies, imo ne integra quidem hebdomas suffecisset. Quid ergo causæ est, ex oppositione ultra tres horas productæ sinistri quid hariolandi aut suspicandi? Idemne sperare poterat, fore, ut si unus Baccalaureus, etsi valde fortis, & opinione sua sapiens ad opponendum accessisset, una hora me cum Respondente debellaturus fuisset? Qui Achillen non metuit, illum, quem Homerus *Il. β.* describit, non reformidaturus erat. Ex his, si quis nares vel canine venatico sagaciores habeat, quod sibi subodorari visus est is, qui abfuit, subodorari posse, puto, neminem. Præterea quæ de intermissa a Respondente solenni invitatione inter queritur, causam sane non habet. Meminisse enim poterit, quod hæc ceremonia non sit necessaria. Præsertim apud ipsum, qui ante ab Engelio Respondente meo humanissime invitatus, ne ipsum & Dn. Decanum quidem in auditorium, quod alias moris & humanitatis est, comitari dignatus est. Metuebat igitur sibi meus Respondens, ne si eum privatim invitaret, sibi *invitationem signi* forte exprobraret malaque cum gratia repelleret. Alias oblatio disputationis per ministrum Academiae publicum, hic instar invitationis habetur. *Tertium* falsum est, quod in disputatione de statu induratorum, ut *Epistolographus p. 5.* garrit, rem, quæ *termino peremptorio* designatur, omnibus modis defenderim. Sane ut illud vocabulum nemini unquam obtrusis; ita nec in hac disputatione, quæstionem illam alibi discussam nulla ratione attigi. De altera impressione futillum suarum prælectionum Lipsiæ absque censura ordinarii Censoris facta, si inquiratur, facile patefieri poterat, illas apud typographum, qui sine ordinarii & extraordinarii Censoris consensu chartas maledicas hæctenus excudit & recudit, impressas fuisse. Circumstantia illa  
ini-

iniquitatis tanti non est, ut de ea prolixè litigemus, cum iniquitas *Epistolographi* manifesta sit. Quippe qui effrontem calumniam p. 5. repetere non erubescit, ac si ego foeda & absurda dogmata asseruerim. Cur? quia ipse ignarus hujus controversiæ dicit. Quis vero insons aut orthodoxus erit, si calumnia vim probationis habere debet? Quos *Epistolographus* contradictionibus constringere vult, eos omnis Dialectices & Sophisticæ rudes esse oportet. Ego vero *ideam malitiosi Sophistæ B. Dannhaueri* evolvi, antequam *Epistolographus* nova ejusdem specimina edere cõpisset. Cujus exempla nunc quidem in hac ejus epistola plura comparent, quam vos *Juvenes veritatis studiosi*, forte a novello Præsule expectassetis. Spectant huc ratiocinia, quæ p. 6. & 7. sequuntur: inter Pontificios hodie de statu induratorum modeste controvertitur; Ergo Lutheranis ob dissensum circa eandem materiam, licet sibi invicem capitales errores impingere, manifestasque turbas ciere: quia hac ratione illi Lutheranis non possent intestina bella exprobrare. Smalcus, Socinianus, docuit, *Deum nonnullos impios ita obdurare, ut non possint resipiscere, vel ad se converti*: Ergo, qui cum S. Scriptura, Formula Concordiæ, Luthero & optimis nostris Theologis docent, *Deum ex voluntate consequente judiciaria, quosdam refractarios contumaces peccatores ita indurare, ut ex propria culpa resipiscere & converti nequeant*, Socinianorum ex alia & quidem falsissima hypothesis assertum errorem faciunt suum. Improbam *ἀσυνλογίαν* hanc bis terve jam confutavi; & tamen infra recinitur, ut imperitis harum controversiarum facum faciat ac aliquid calumniæ hæreat. Dum autem pag. 6. sine omni judicio garrit, meam, hoc est communem veterum Theologorum sententiam, *fundamentum fidei penitus evertere*, simul confratrem suum Gedanensem pungit, qui hanc controversiam in ipso disputationis titulo modestius *PROBLEMA THEOLOGICUM* appellavit. At noster Aristarchus acutum alias cernens, non videt, qua ratione lux cum tenebris conciliari queat. Quod, quia in tenebris hæret, facile accredo. Nescit enim quid fundamentum fidei, quidve articuli fidei fundamentales sint. Alias hujus suæ assertionis temerariæ rationem attulit-

tulisset. Nullum sane fidei articulum fundamentalem nominare potest, quem nostra sententia tantum vellicet, multo minus, quem evertat. Ipse vero *Censor* labefactat justitiam Dei punitivam, quæ maxime necessaria est in Deo, quaq; satisfactio Christi necessaria nititur; labefactat doctrinam de gratia amissibili & reapse sapius amissa, de providentia, de induratione, de peccato in Spiritum S. de pœnitentia non differenda, impugnat doctrinam Formulæ Concordiæ artic. XI. p. 808. 812. 813. 820. 821. securitatem impiorum aperte fovet. Si enim omnibus induratissimis etiam peccatoribus in ultimo vitæ sine, ostium gratiæ semper apertum est, improbi, quorum pars major est, cum summo animarum periculo pœnitentiam casui exponent, & usque ad diem emortualem illam different. Id quod sapius ex optimorum Theologorum testimoniis probatum fuit. Cæterum, an Pastor Silesius, an Aristarchus noster in dijudicanda hac controversia, meliori judicio theologico polleat, lectores prudentes extra partium studia positi arbitrentur. Id vero quam absurdum sit, Vos, *nobilissimi Juvenes*, facile judicabitis, quando p. 7. jactat, se statum controversiæ liquido in suarum prælectionum limine formasse, nec *ἀνεξοδιούργως* illam ad articulum de S. Scriptura, quæ *unica controversiarum norma est*, retulisse. Primo enim quæstio hic non tantum est, *an Deus ulli homini dum vivit, omnem divine gratiæ aditum præcluserit?* Sed de induratissimis peccatoribus, & quidem quod voluntatem Dei consequentem judiciariam atinet, quaritur. Secundo, si hæc quæstio ad locum de Scriptura S. pertinet, Aristarchus omnes hæreses, & quæstiones controversas, ad hoc primum prælectionum suarum in B. D. *Alberti libellum de interesse prærelig. Christ.* caput referre potest. Num vero sic promissis suis, vobis *Juvenes præstantissimi*, in publico programme anno superiori factis stabit; nempe *intra anni spatium* se laudatum libellum explicatum esse? Fallor, aut hoc *voluntas signi* est, aut intra mensem, istius explicationem vobis præstare tenetur. Sed ne fastidium, *Juvenes Optimi*, vobis per confusas Aristarchi ambages augeatur, statum causæ paucis repetam, additis certis *cautelis*, vel *presuppositis*, ex quibus, quid in hac Epistola disceptetur, facile judicatu futurum sit.

Con-

Controversia in eo præcipue vertitur: *An induratissimis omnibus peccatoribus, nullo excepto, fores gratia, usq. ad finem vite semper pateant?*

Ego cum S. Scriptura, Formula Concordiæ, Luthero & Theologis nostræ Ecclesiæ præstantissimis, quique inter superstites jam non habent pares, id ceu veritatem catholicam asserui, multisque argumentis eandem adstruxi. Epistolographus vero, in gratiam aliquot novaturientium Fratrum, pertinacissime istam negat. Inductus autem videtur, ut hoc sentiret primum, quod *excæcationis & indurationis statum non cognovisset*; deinde, quod *voluntatis Dei antecedentis & consequentis* judiciariæ indolem, ejusque adplicationem ad objecta diversa, in hac vita, nesciret.

Hinc I. *Cautelam, velim, Optimi Juvener, hic observetis, quæ est; Dantur in hac vita, & quidem in ipsa Ecclesia, homines penitus excæcati & indurati, quibus Deus ex voluntate consequente judiciariæ, omnem gratiam salutiferam subtrahit.* Hanc assertionem in Additam. *Disput. de stat. indurat. à §. 27. usq. ad 31. & consensu meo orthod. probavi.*

II. *Excæcatio & induratio ejusmodi peccatorum confirmata & totalis, est invincibilis & inexpugnabilis.* Quod cum Luthero & Huttero in *Comp. Theolog. Loc. VII. qu. 8. D. W. Lyserus, Dorscheus, Hülsemannus, Geierus & alii* affirmant.

III. *Qui peccatores indurati in hanc miseriam, propria culpa prolapsi sunt, fiunt inconvertibiles.* Quod cum S. Scriptura, Lutherus & multi alii sæpius a me allegati Theologi asserunt, v. *Consens. meus Orthodoxus p. 18. squ.*

IV. *His prorsus ita induratis, Deus, non ex absoluto decreto, sed ob prævisam contumaciam incorrigibilem, ante finem vite gratiæ revocatrici terminum fixit.* Quod cum *Form. Conc. artic. XI. p. 82.* Hutterus, Hunnius, Hülsemannus, Dannhauerus, Geierus, Carpzovius & alii Theologi ex divinis literis statuunt. Sed noster Epistolographus has assertiones, ut in aliis publicatis chartis, ita in novâ Epistola sua, frivole impugnatum ivit, ad nauseam usque repetendo suam assertionem: *Fores gratiæ divinæ omnibus etiam indu-*

( ) ( ) ( )

ratissimis peccatoribus usq. ad finem vite patent; ita, ut ne peccatores in Spir. S. etiam excipere velit. Causam enim oris adeo pertinaciter defensi, mihi in ejusdem chartis deprehendere non licuit aliam, quam quod ignorato statu induratorum, nesciat voluntatis Dei antecedentis & consequentis verum discrimen, ejusque ad diversa objecta, seu hominum diversas classes adplicare. Inde ex communi nostratum orthodoxorum Theologorum sententia notanda hic est,

V. Cautela: *Voluntas Dei antecedens*, (qua Scholasticis prima dicitur,) est desiderium Dei salvandi omnes peccatores, qui in Christum credunt, & in ea fide, ad finem vite perseverant, Joh. III. 16. Marc. XVI. 16. Matth. XXIV. 13. Hæc vero non est absoluta, sed ordinata & conditionata, quod contra D. Huberum, Hunnius, Rungius, Mylius, Hutterus, Meißnerus & alii demonstrarunt. *Voluntas autem Dei consequens*, adplicationem vel rejectionem oblatae gratiae respiciens, includit præscientiam Dei, qua ab aeterno prævidit, tum qui constanter credituri, tum qui non credituri sint, Rom. VIII. 29. Hinc voluntatis hujus divinæ, duo decreta cum Formulæ, conc. art. XI. pag. 808. Hutterus in Expos. ejusdem p. 128. seqq. D. J. Försterus in Probl. Theol. ex orat. Domin. Dec. 2. probl. I. D. Lobethius in II. Additam. meo, p. 8. 9. allegatus, D. Kunadus in Comp. Theol. Disp. XII. de Prædest. §. 24. seq. & alii observarunt: Alterum est electionis ad vitam aeternam, concernens credentes, quod his verbis exprimi potest: Volo, & ex prævisione fidei eorum constantis decerno, ut Abrahamus, Isaacus, Jacobus, David, Petrus & horum similes omnes habeant vitam aeternam: Alterum decretum est judicii & reprobationis (inde voluntatis Judiciarie dicitur) spectans incredulos, refractarios, induratos & omnes finaliter impenitentes, quod ita habet: Volo, & ex prævisa contumacia ac perseverante impenitentia decerno, ut Sodomitæ, Saul, filii Elii, Pharisei, Judas proditor & horum similes, ob impenitentiam perseverantem ad finem vite, aeternum pereant. Ita Formula Concord. art. XI. pag. 808. 820. & post multos alios orthodoxos Theologos, D. J. B. Caspary in Part. VII. conc. Fœder. ex Ephes. I. 4. 5. 6. von der Evangel. Kir-

chen

then richtigen Lehr von der ewigen Gnaden-Wahl / p. 117. sqq. etiam declarat.

Hinc VI. *Cautela* animadvertenda, in quam ut *D. Huberus*, ita noster *Epistolographus* subinde impingit: nempe decretum electionis non nuda *antecedente*, sed *consequente* simul *voluntate* terminandum esse. Quia 1.) electionis decreto inclusa est præscientia DEI, qua non solum considerantur media salutis *ex parte DEI*, ut *oblata* omnibus; sed etiam respectu hominum, ut *acceptata* & *usurpata*, hoc est, non in quantum credere debent; sed quatenus actu, per gratiam in Christo partam credunt, & quidem perseveranter usque ad finem: 2.) Si voluntate antecedente terminata esset electio, necessum foret, ut essent convertibilia. At non sunt *divisæ* voluntas antecedens, & electio. Etsi enim misericors Deus omnes electos vult salvatos; non tamen vice versa, quosunque salvatos vult, sunt electi: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, Matth. XXII. 14. Hisce se constringi videns *D. Huberus*, distinctionem voluntatis anteced. & consequ. rejecit, ac tantum antecedentem seu universalem agnoscit; subordinatam vero seu *consequentem* (qua Deus vult tantum credentes salvari, incredulos autem & impœnitentes damnari) contra expressam Scripturam negat, eamque antecedenti contradictorie opponit, *Apol. conf. p. 197. & 217. sqq.* Cujus erroris fons erat, quod Deo affingeret *voluntatem absolutam*, qua simpliciter & absolute sine *omni determinatione*, nolit mortem peccatoris &c. v. *Lobeck. in Additam. II. p. 9. & Hutter. in Exposit. Form. Conc. p. 1134. sqq. 1198.* Noster *Epistolographus* quidem distinctionem voluntatis divinæ, in antecedentem & consequentem admittit, negat etiam electionem universalem; At illius distinctionis genuinam adplicationem nescire ipsum, chartæ ejus restantur publicatæ. Quia voluntatem Dei antecedentem gratiosam, extendit ad omnes peccatores induratos usque *ad vitæ finem*. Unde cum Hubero subinde urget Ezech. c. XVIII. & XXXIII. quasi Deus absolute mortem impii nollet. Hoc autem falsum esse, ex *B. Hülsemanni vindic. L.L. class. p. 87.* discere potuisset: *Cavendum est*, inquit ille, *ne terminum ad quem voluntatis antecedentis NB. po-*

namus ultra voluntariam contumaciam hominis, aut primam vocationem per Evangelium. Ab his enim terminis NB. initium capit voluntas consequens, seu supplicia, seu premia in hominem decernat &c. Si ergo voluntas Dei antecedens in hac vita, respectu contumacium & induratorum peccatorum, ante obitum illorum terminatur; non poterit erga totaliter induratum, illa gratiosa voluntas Dei, seu misericordia ejus adhuc durare. Nam manifestum est, illa cessante, in hac vita voluntatem Dei judiciariam jam sese respectu induratorum exserere, dum illos gratia sua plane deserit, ut *Formul. Conc. p. 808. § 20. sequ.* docet. Caterum etsi Epistolographus, cum Hubero electionem universalem non nominat; gratiam tamen universalem, hac ratione usque ad *finem vite* cujusvis indurati peccatoris fingit absolutam; quasi Deus simpliciter & absolute, sine determinacione, nolit mortem peccatoris; ac adeo gratiam suam erga contumaces ac induratos, ante finem vite non abrumpat, vel auferat. Id quod etiam Huberus subinde urfit, alia tantum lingua usus. v. *D. Hutteri Exposit. Form. Conc. p. 1199. seq.*

Indè VII. Cautela notanda, quod gratia Dei revocatrix quidem ex antecedente Dei voluntate proveniat, sed habito respectu ad relapsos convertibiles, ad voluntatem consequentem pertineat, ut *D. Kunadus loc. supra citato* expresse scribit. Verba ejus in *Epist. ad Rostensch. p. 44.* integra allegavi. Hinc *B. D. Rungius in Praelect. in Exod. c. VI. part. 2. in loc. doct.* scribit: *Incredulitas verbum Dei respiciens, praecludit NB. homini omnem aditum ad gratiam, h. e. grande illud peccatum, de quo Spiritus S. mundum arguit, Joban. XVI, 9. quod Deum accusat mendacii, 1. Job. V, 20. Et certam meretur damnationem, Rom. II, 8. Hebr. III, 29.*

His cautelis observatis, *Juvenes Optimi*, facile officia & strophæ, quibus Epistolographus utitur, discuti possunt. Semper enim in illas, petendo principium impingit, suamque *antithesin*, quam probare tenetur, loco principii recinit, obvertitque. Equidem mihi illam *ἀπιστία* p. 8. & 9. affingit; ac si ego, quando thesin meam, quæ est inter Evangelicos catholica, defendo, peterem τὸ ἐν δεξιῇ. At nosse debebat hypercriticus Censor, ex veterum Philosophorum

rum disputandi modo per quaestiones, quod is, qui thesin suam propositam repetit, petitionem principii non admittat, si illam rationibus certis subnixus defendit; alter vero quaesitor, qui istam ceu opponens impugnare nititur, contradictoriam adserendo, eamque ad probationem hujus, synonymicas phrasas attulit, idemque per idem, mutatis tantum vocabulis probavit, is petere τὸ ἐν ἀρχῇ dicitur. Defensor autem theseos suae, vel respondens, etiamsi illam in conflictu repetat, non petit principium. Quia is tamdiu in possessione veritatis manere censetur, donec quaesitor, seu opponens illam evertat. Si igitur opponens ante, thesin suam, tanquam actor tantum repetit, nullas rationes solidas adducendo, (ut *Epistolographus* noster,) petere τὸ ἐν ἀρχῇ, & cocyzare dicitur. Quare ineptissime arguit: Si opponens tantum petitionem principii admittit, omnia scripturae oracula a sectariis ludibrio expositum iri. Quis illum hanc Dialecticam docuit? An Lutherani concedunt, Pontificios & Calvinianos in possessione Evangelicae veritatis esse, quando sua placita erronea nobis opponunt? Ego vero quod praesentem controversiam attinet, jus veritatis antiquissimae defendo: Si *Aristarchus* me isthoc jure, tanquam actor importunus, seu opponens deturbare velit; non cocyzare, h. e. suam antithesin subinde tantum repetere, sed rationes solidas ex Scriptura adferre, suamq; antithesin veram, meam vero thesin falsam esse demonstrare debet. Si ipse, ita nostram assertionem validis argumentis destruere, ut nostrates Pontificiorum & Calvinianorum errores destruxerunt, valet, non amplius petet principium, ut hactenus, & in hac sua epistola fecit. Illud tamen non nego, respondentem h. e. defensorem theseos posse etiam petere τὸ ἐν ἀρχῇ, si in responsionibus, distinctiones adhibeat, quas Opponens ante demonstravit falsas esse. At meus *Aristarchus* hujus me fallaciae nondum strophis suis omnibus convincere potuit. Quando enim ex *Ezech. XVIII. p. 10.* ratiocinium novum necit:

*Quicumque voluntate antecedente nullius peccatoris adhuc viventis mortem vult, is induratis in hac vita gratiae osium non occludit.*

*Subsumo: Atqui? Ergo &c.*

In hac majori propositione, *petitio principii* latet: ideo illa sic juxta *cautelam VI.* supra præsuppositam, limitanda venit:

*Quicumque voluntate antecedente nullius peccatoris adhuc viventis, NB. ABSOLUTE vult mortem, is induratis in hac vita gratiæ ostium non occludit.* Sic transeat major; Minor vero inde,

(*Atqui Deus voluntate antecedente NB. ABSOLUTE nullius peccatoris mortem vult*) est falsissima.

Huberus quidem, id Prophetam absolute asserere dixit; sed probare, ut noster Epistolographus, non valuit. Voluntatem enim illam Dei *conditionatam* esse, ex v. 24. cap. cit. qui non videt, cum cœcum esse oportet. Pudenda autem Epistolographi est negatio, quod ipse per *mortem*, ibi cum Socinianis non intellexerit & adhuc præcipue intelligat *mortem temporalem*. Si enim hanc non præcipue indigitat, cur ex his verbis probare tantopere contendit, gratiæ ostium ideo *ante mortem temporalem* induratis semper pate- re, quia Deus nolit adhuc *viventis mortem*? An vitæ temporali non opponitur mors temporalis? Quæstio autem hic est, an *ante mortem temporalem*, indurato gratiæ ostium semper pateat? Hanc vero Censor ex Ezech. l. c. probare vult. Si enim de morte spirituali ac æterna Prophetæ verba, ex nostratium Theologorum mente intelligenda sunt; Censor inde plane in seiner ersten Verteidigung p. 24. lin. 24. 25. nihil probavit. Ideo necessum est, ut *mortem præcipue temporalem* cum Socinianis intelligat. Dixi *præcipue*: Non enim in Parænesi mea p. 7. particulam exclusivam *tantum*, ut Censor calumniatur, adhibui. Conferte, si lubet hic, *Juvenes præstantissimi*, B. Glassii locum in *Orth. Consens.* meo p. 44. seq. transcriptum. Is enim lucem prophetico dicto, quo Noster toties abusus est, accendit. Quia is, ab *impio moriente*, semper argum- tatus est ad ostium gratiæ *usque ad mortem* apertum. Id quod jam negat, quoniam se constrictum videt.

Quæ nunc Epistolographus p. 11. sq. de *convertibilitate* omnium peccatorum induratorum oggannit, cum alibi, tum in *consensu meo orthodoxo* p. 18. 19. sequ. probavi, si absolute dicatur, falsum esse. Ubi enim

enim ego asserui, induratos, voluntate Dei antecedente, esse inconvertibiles? Calumnia hæc est manifesta. Semper enim illos voluntate Dei consequente judiciaria, & quidem sua culpa inconvertibiles fieri statui. Si Schmidii verba mentemque *Censor* intelligeret, ejusdem verbis non ita imprudenter abuteretur. Quod enim ille statuit, id ego quoque sapius asserui. Schmidius solum diabolium inconvertibilem *absolute* dixit. At nusquam negavit, induratos, *ex Hypothesi* (ob malitiosum obicem perseveranter positum) fieri inconvertibiles. v. *Comment. ejus in Jerom. c. VII. v. 16. pag. 301.* ita Dannhæuerus p. 12. rectissime dixit, homini in ipso actu peccatum in Spiritum S. primum nempe admittenti, gratiam Dei offerri; nisi enim oblata, imo ante collata etiam fuisset, quomodo illam malitiosissime repellere & blasphemare ac adeo se illo peccato obstringere posset. *Ebr. VI. 4. 5.* Verum ubi talis jam per actus malitiosos habitum istius peccati contraxit, *Censor* demonstrat, ubi Dannhæuerus affirmat, tali peccatori in sensu composito considerato, gratiam Dei adhuc offerri. Evolvat, quæ D. Hanekenus in *Medit. Carol. p. 38. 78.* tradit, & distinguat inter peccatum in Spiritum S. *inchoatum, & consummatum.* De priori, non de posteriori, Dannhæuerus loquitur. Sed repetit sophisma suum, in *Paranesi* p. 8. 9. dilutum: Major illius est:

*Quoscunque Deus voluntate sua antecedente salvos esse cupit, illi sunt inconvertibiles.*

Hanc ex verbis Additamenti mei I. p. 36. exculpare molitus est, quæ, ut reperam, ita habent: Nach dem vorhergehenden Gnaden-Willen will Gott alle Sünder NB. die sich bekehren lassen / selig haben; aber nach dem folgenden Gerichts-Willen / will er den böshafftigen Verächtern seiner Gnade und ungläubigen verstockten Sündern seine Gnade entziehen etc. Hic vos, *Juvenes eruditissimi*, appellavi, ut judicetis, an Antagonistæ mei conficta propositio major, in meis hinc verbis Germanicis contineatur. Sed quia *Epistolographus* coccyzare atq; id asseverare contendit, has propositiones, suam *Latinam* & meam *Germanicam*, esse æquipollentes, non indignabitur, si ipsum *Sophistam* appellen. Nemo enim cordatus, & cni dialectices de conver-

conversione propositionum præcepta nota sunt, in illum sensum mea verba torquere potest. Mea enim propositio Germanice allata, hæc est: *Deus voluntate antecedente omnes, qui se converti sinunt, (ac adeo non malitiose repugnant) salvos esse cupit.* Hanc verisimam, quæ mea est, aut imprudenter, aut impudenter pervertit in sophisticam & falsam propositionem a me nec prolatam nec aghitam. Aliud enim est, *sich bekehren lassen/ aliud est, bekehret werden können.* Die sich actu bekehren lassen/ sind zwar auch bekehrlich; Aber nicht vice versa, die bekehrlich seyn/ oder bekehret werden können/lassen sich deswegen actu bekehren. Desinat ergo ita impudenter sophisticari, & Lectori minus provido glaucoma facere, nisi mensuram Clerici litigiosi implere velit. Cæterum quam alienus abs Huberi absurda sententia Aristarchus noster sit, forte alibi prolixius demonstrari dabitur. Alia tantum lingua, non mente utitur, ut supra *Cautel. V.* indicavi. Nam perinde, ut ille voluntatem Dei consequentem judicariam, post hanc vitam demum exseri, ita & noster statuit. Cavillatur enim, propositiones reduplicativas, quas non intelligit. Putat hanc propositionem: *Deus antecedente voluntate peccatores in Spiritum S. salvos esse cupit, in sensu specificativo, h. e. antequam illud peccatum consummasent, ac adeo adhuc credere potuissent, absurdam esse.* Hoc vero nemo, nisi cui *Secunda Petri* deest, negarit. Ego enim Deum peccatores in Spiritum S. *reduplicative* sic dictos, salvos adhuc velle nunquam asserui: Quia non amplius objectum voluntatis antecedentis, sed consequentis judicariæ sunt. Absurda sibi fingit, ut habeat, quod arrodat. Videri vult se abhorrere abs Huberi sententia; eandem tamen, sub aliis loquendi formulis, reapse tuetur. Si quis formulas, queis de diabolorum rejectione utitur, legit, non alium illæ sensum parere possunt, quam quod statuatur cum Calvinianis eorum rejectionem & damnationem fuisse absolutam. Nam reduplicationem hanc admittere non vult: *Deus Diabolos, quatenus, vel si in statu perfectionis concreato mansissent, æternum salvos voluisset.* Si ergo hæc reduplicatio absurda & falsa est, necesse est, statuatur, illos absolute damnatos esse: Quicquid tergiversetur & nugetur

Cen-

Censor, inania verba repetendo. Sed mihi ad alia ejusdem commenta discutienda properandum est, Pag. 15. mihi affingit interpretationem, quam nunquam dedi. Ego enim potius statuo, apud *Ezechielem* l. c. agi cum convertendis seu convertibilibus; non vero penitus induratis, licet tentatis. Quis vero jussit hisce Evangelicarum promissionum dulcedinem propinari? Profecto apud *Ezechielem* gravissimæ simul comminationes, quæ ad impœnitentes spectant, habentur. Unde sic potius argumentor: *Quicumque Evangelicarum promissionum dulcedinem induratis propinat, ille eandem reddit irritam, & conculcandam exhibet canibus & porcis*, quod *Christus* Matth. VII. 6. vetuit. *Atqui hoc facit Censor: Ergo &c.* Sane in universa Scriptura S. nullus solatii locus, nisi pœnitentibus suppetit, conf. *Additam*. IV. p. 18. 19. Meis verbis p. 16. Censor more suo, hoc est, Sophistico infarcit sua verba; ac si ego auditores *Ezechielis* pro *induratis* habuissem. Cum tamen in *Parænesi* mea p. II. id diserte negarim.

Ad inspidam exceptionem, quod *Dannhauerus* omnes induratos habuerit pro convertibilibus, bis jam a me responsum est. Frustra sane ejus fuisset distinctio peccatorum, in *convertibiles*, & *inconvertibiles*, quam in *Parænesi*. p. II. adduxi. Nemo etiam sanæ mentis credet, quod *Dannhauerus* cum *Epistolographo* p. 17. *per impium extra fines Ecclesie post clausam gratie januam ejectum, intellexerit mortuum damnatum*. Obstant ejus verba *Hodof*. p. 879. Nec ille dicit januam non ante claudi, quam in morte miserrimum ævum inchoante: sed de *satisfactione* *Christi* pro impœnitentia terminatrice hujus seculi, quatenus illa in hac vita adhuc valida est, janua nondum clausa. Confundit ergo *Censor* doctrinam de *satisfactione*, cum doctrina de *induratione* imperite aut fraudulenter. Notate hic iterum, candidi Lectores, animi candorem *Epistolographi*. Qui circa finem p. 17. nunc *reduplicationem*, quam supra in pari causa impugnavit, usurpat. Si *B. Varenius* cum *Epistolographo* frateret, Deum mortem impii, qua talis, nolle; necesse est, statuat cum *Hubero*, Deum impios coactum damnare, ap. *Hutter. in Exposit. F. C.* p. 1199. ita vero absurdus *Varenius* non fuit, sed locutus

est de voluntate Dei antecedente. Quemadmodum *Kortholdus* etiam distinctionem voluntatis antecedentis & consequentis mecum agnovit, & jam c.l. adplicuit, quod Censor non intellexit. *Kortholdus* enim *thes. V.* cum aliis orthodoxis Theologis contra *Huberianos* observat, quod Deus sub *communi quadam ratione, nondum respiciendo ad eorum vel fidem, vel incredulitatem* (quod est nihil aliud quam voluntas antecedens) *velit omnes salvos fieri.* Id ego quoque cœnties dixi. Hic autem quæstio est de voluntate Dei consequente, ubi vel fides, vel incredulitas respicitur. Ideo *B. Gerhardi* regula *de Elect.* §. 205. valere debet: *Ex se universalis, per hominum incredulitatem sunt particularia.*

Quæ de locis *1. Tim. II. 4.* & *2. Petr. III. 9.* coccyzat, in *IV. Additam.* jam, & in *Consens. Orthod.* p. 36. discussa sunt. Nimirum nescit Epistolographus inter gratiæ divinæ *oblationem*, & actualem *collationem* cum fructu conjunctam distinguere: Hæc ad solos pœnitentes spectat, ut pueri norunt, qui nondum aëe lavantur. Evolvite mea allegata scripta, & fidem *Sophistæ* deprehendetis, qui meam, quæ communis Theologorum sententia est, maligne cum *Piscatoris* placito confundit. Et nescio, ut Censor salva sua hypothese *Huberiana* p. 17. admittere possit, *Deum induratis, quatenus tales sunt, gratiam suam non offerre,* quod hæctenus πύξ κῆ λᾶξ impugnavit. Ergo quatenus emolliti & conversi jam sunt, illis offert gratiam conversionis? Quis ita absurde loqui amat? *Brochmandi* verba a me in *Parenes.* adducta, quæ ejusdem sententiam destruunt, ut *Gallus* prunas, transilit, & de gratia Dei universali, quam nusquam negavi, multa iterum confuse declamat. Venerandi nostri *D. Olearii*, quæ mens sit, ex verbis ejusdem jam in *Additam. IV. & Parenesi* mea, p. 13. 16. satis declaratum est. Censor interim circulum suum rotet, quamdiu ipsi lubet. Quandoquidem fixum manet, ut *Æthiops* cutem non mutet. De finali impœnitentia, an *Christus* pro illa satisfecerit, *B. Kromayeri nostri* verba nuper in *Consens. Orthod.* p. 10. adduxi. Hunc, qui etiam reduplicationem quatenus ipsi tantopere invisam, aut potius non intellectam, usurpavit, si lubet impugnet. Sed quæstio illa altioris est indaginis, quam ut ab ipso,

etfi

et si *resolutissimus* sibi *Doctor* videatur, solide resolvi queat. Circa  
 thes. 6. p. 22. nihil nisi verba dat inania. Induratis reduplicative  
 sic dictis gratiam Dei Act. XVII. 30. 31. oblatam fuisse nunc conce-  
 dit, quod tamen supra p. 17. negavit. Quid de tali disputatore sen-  
 tiendum, *Juvenes cordati*, judicate? Si adplicationem voluntatis  
 antecedentis, & consequentis intelligeret, non ita semet contra-  
 dictionibus involveret. Verum est, quod Christus acquisivit, id  
 etiam offertur omnibus, sed non semper, alias etiam damnatis in  
 inferno adhuc illa gratia offerenda foret. Qui constanter maliti-  
 osum obicem ponunt, ut indurati, illi non legitimo modo oblatam  
 gratiam accipere possunt. Christus etiam pœnas infernales, pro  
 omnibus reprobis in inferno, ac adeo etiam induratis sustinuit: Er-  
 go illis hæc gratia adhuc offerri debet? P. 22. mirabiliter ratiocina-  
 tur: Christus judicaturus est induratos in sensu composito: Ergo  
 talibus pœnitentia proposita aut proponenda fuit NB. *usque ad mor-  
 tem*; nam de hoc tempore quæstio est. Satis est, quod semel, bis  
 terve oblata, sed rejecta fuit. Nusquam Paulus dixit: Iterum ite-  
 rumque Deus præcipit, refractariis pœnitentiam & fidem offerre.  
 Contrarium extat *Tit. III. 10.* Nusquam legitur, quod omni tempo-  
 re, *usque ad mortem* aut *quamdiu homines sunt*: Nam nec in infer-  
 no desinunt esse homines, aut etiam in statu mortis. Tædet cum  
 Censore *κοκκύζειν*, & nugari.

Pag. 23. negare vult, pœnitentiæ prædicationem etiam ad vo-  
 luntatem Dei consequentem pertinere, quod nullus saniorum  
 Theologorum in dubium vocavit. Ibidem indurationem origi-  
 nalem, ab induratione per malitiæ habitum acquisita distinguere ne-  
 scit. Chorazitæ & similes indurati ob indurationem non sunt  
 conversi, id est, non amplius revocati, sed condemnatio iis denun-  
 ciata a Christo fuit. Matth. XI. Inde mihi ex suo male temperato  
 cerebro consequentias affingit, quas in mea *Paranesi* pag. 17. nemo  
 sanus invenerit. Putidum esset, istas nugas repetere, iisque sæpius  
 discussis, ab integro recensere. Qui mea in *Paranesi* tradita capit,  
 istius coccyismos jam sæpius confutatos ridebit, aut dolebit homi-  
 nis impotentiam animi. Quæ enim septies a me diluta sunt, com-  
 menta

menta subinde occentat, & ut iterum respondeam, inepte poscit. Anicularum more garrere, verbaque garrientium, *tu dicis, ego dico, nos dicimus, vos dicitis*, cum nausea vestra, *Juvenes Optimi*, repetere nolo. In locum Paulinum Rom. II. 5. evolvite accuratissimi D. W. Lyseri *System. Theol. p. 1329. seqq.* qui illum a nostris Cenforis tricis vindicavit.

*Pag. 24.* novellus Cenfor putat, causam nostram non magnopere adjuvare locum Act. XIII. 46. Sed ad dictum Act. XVII. 30. recte intelligendum, utique plurimum iste facit. Inde p. 25. scribit, quaestionem de voluntate Dei consequente, non nisi a larvis motam. At ipse movit. Quia utriusque voluntatis discrimen, ut supra *caut. V. & VI.* indicavi, non intelligit: Hinc illæ naniæ. Quod D. Schmidius in *Colleg. Bibl.* non de induratis loquatur, ut Cenfor garrit, ex ejusd. cit. loc. §. 13. adparet: ubi explicat, quod Deus exhibeat fidem, ut *eam NB. in ipsis non resistantibus operetur.* Qui ergo malitiose resistunt, indurantur, & hac conversionis & fidei gratia excidunt, in illis operari non potest. Dixeram, disputationem hic præcipue esse de induratis ex genere regenitorum. Cenfor inde colligit, me irrogenitis nunc gratiæ januam claudere, nunc aperire. Quæ, qualis, quanta? Evolvat D. *Scharffii Disput. de convers. hominis a. 1652. Wittebergæ habitam §. 53.* Quæ ex loco Act. XVII. quarit, sapius dicta sunt. Neque ego hic de illo loco egi, qui omnino de vocatione universali agit; sed quid inde? Num ideo inter Athenienses omnes etiam per malitiam indurati & refractarii, a Deo usque ad finem vitæ vocati & revocati sunt? *ἀθεοί.* Ego induratos ex genere irrogenitorum, a vocatione divina non exclusi; sed inter hos etiam esse, qui duritiam cordis connatam, per malitiam magis aggravant, ac inde in sensum reprobum dari, statuo, hos autem denuo a Deo usque ad finem vitæ revocari, Aristarchus probare debuit. Sed mire hic cuculat, ut imperitis rerum sacrarum fucum faciat.

*Pag. 27.* multa tricatur, quæ inania sunt. Nam ante jam asserui, Apostolum agere de *vocatione prima*, & de gratia Evangelii & fide illis offerenda, qui ejus antea nondum fuerunt participes, quique propter illius contemptum, in iudicium indurationis, adeoque in

in pœnam desertionis divinæ inciderant. Alias Paulus non simpliciter dixisset: *Deus precipit*; sed *iterum precipit*. Deinde ut inanes Aristarchi quæstiones solvantur, notandum est, nostrates Theologos, Hunnium, Meisnerum, Hülsemannum & alios statuere, quod tribus maxime temporibus, universalis vocatio solenniter promulgata fuerit, per Adamum, Noachum, Christum & Apostolos. Ubi per tertiam, copiosiore gratiam oblatam omnibus etiam induratis, quippe in tenebris mortis sedentibus fuisse, non negarim. Inter hos autem aliqui, qui non per affectatam & confirmatam duritiam cordis, propria culpa penitus induruerant, vocationi illi obtemperarunt; aliqui vero, quos jam dixi, per vocationem hanc magis occalluere, præfracte illi resistentes, non paruerunt. Hos Paulus omnes quidem vocavit, quia illos contumaces & refractarios discernere nescivit. Deus enim qui voluntate antecedente omnes salvos vult, omnes simul vocare præcepit, ut penitus indurati nullam haberent excusationem, sed redderentur *ἀναπολόγητοι*. Quanquam hic effectus vocationis divinæ per accidens dicatur. Censor tamen inde nihil lucratur repetitione suorum coccysmorum. Neque enim Paulus, nec alii Apostoli vocationem illam apud induratos subinde reiterarunt; sed cum invitatio eorum aures induratorum pulsasset surdas, & illi pertinaciter vocationi restitissent, illud Esaianum cap. VI. repetitum est: *Incrassatum est cor populi hujus &c. ut ne sanem eos, Aët. XXVIII. 17.* Et si ergo gratia hæc Dei copiosa & superabundans dicatur; mox tamen illa, cum blasphema multi loquerentur, in iram conversa est, ut Dominus iratus dixerit, quod nemo illusorum & refractariorum cœnam suam gustaturus sit, Luc. XIV. 24. inepte hinc quærit *Censor*, quando ante Apostolorum prædicationem, media salutis, per antecedentem gratiam oblata fuerint? Ita enim quærent Calviniani, qui particularem vocationem statuunt. Cum his ergo *Censorem* sentire oportet ita quærentem. Vicissim ex ipso quæro: Quando media gratiæ Americanis & Indis gentilibus, per multa elapsa secula, & hodiernum offerantur? Respondebit forte, id per Apostolos semel factum, Deum ad reiterationem gratiæ temere rejectam non esse obstrictum. Atqui sic simili modo

ipsi respondeo, id factum esse per Noachum, & quandoque per nuncios extraordinarios. Tandem vero Deus obstinatos & excaecatos gentiles dimisit ingredi vias suas, *Act. XIV. 16.* Nec Apostolus, *Rom. II. 5.* scribit, eundem illum hominem, quem Dei bonitas invitabat, post thesaurizationem iræ, nihilominus adhuc invitari; sed innuit, quid frustraneam invitationem sequatur vel secuturum sit, ut *Lycerus* supra allegatus probat. Falsum est, quod Paulus superstes adhuc ipse, *induratos* quosvis ad pœnitentiam revocare non destiterit: Cum tales fugiendos esse statuatur. *Tit. III. 20. 2. Thef. III. 5.* A tolerantia vero induratorum, ad invitationem pœnitentiæ N. V. C. Vera Dei miseratio, qua hominis fit conversio, directe opponitur indurationi: Ergo hac incipiente, illa cessat, *Rom. IX. 8.*

Ad locum *Es. LXV. 5.* toties respondi, me *B. Schmidii* explanationem facere meam. Quæ *Censor* oggerit, solide venerandus Doctor-Theologus, in divinis literis exercitissimus, in *Addit. IV. pag. 11. sequ.* discussit; ut nihil reponere hæctenus, nisi suam cantilenam aut calumniam, *Censor* potuerit. Quas interim larvas jactat, cum illis pugnet. Mihi cum larvis (utinam etiam non cum larvato Theologo!) nihil negotii est.

*Pag. 30.* Diabolum inconvertibilem, de quo nulla hic quaestio, iterum obvertit. Absit vero Diabolus! Cæterum si *induratos* *Israëlitas* & *Judæos* convertibiles esse, persuasum habet; cur negat, illos ante extremum diem converti posse? Negat *Israëlitis* inter gentes dispersis, gratiam Dei per multa secula præclusam fuisse; Et tamen de eorum conversione non desperat. Cur ad rationes in *Paranes. p. 20.* ex *B. Carpzovio* adductas nihil reposuit? Qui *B. Hunnii* verborum sensus sit, ex *Hunnio* in *Consens. Orthod. p. 13.* declaravi, quæ iterum inepte *p. 31.* recinit, repetendo coccyssimum suum; *omnes homines sunt convertibiles.* Quod manet τὸ κενώμενον, donec probarit, homines a Deo penitus desertos, posse se ex propriis viribus convertere ad Deum. Deus quidem nemini pædagogiam vel aditum ad Ecclesiam absolute præcluserit: Sed illa pædagogia nullum, lumine gratiæ destitutum convertit. Interim quæ *Censor* garrit, omnes dispersos *Israëlitas* fuisse convertibiles, coccyssimus est.

est. Ex quo simul adparet, quod Calvinianorum hypotheses de absoluto decreto & gratiae particularitate non intelligat, aut data opera cavilletur. Id quod, si tempus permitteret, facile demonstrari poterat. Omnes Israelitas inter gentes dispersos, invitatos iterum ad poenitentiam fuisse, ait. Ubi vero? à quibus? quando? an semper usque ad finem vitae? Probet hoc *Censor*, aut coccyzare desinat. Jeremias cap. III. 3 non dispersos Israelitas invitavit ad poenitentiam, sed Judæos pari fato dignos. Inter auditores autem Prophetarum, Apostolorum, & hodie semper mixtos esse inconvertibiles, nemo, qui Scripturam de induratis legit, aut sensu communi valet Christiano, unquam in dubium vocavit, præter novellum Censorem. Falsum est, quod Censor p. 33. dicit, Deum omnes impios & hypocritas statim severissime punire decrevisse, v. Apoc. III. 19. Qui curari aut emendari nolunt, illis aufert gratiam, *Matt. XIII. 12.* nec reiterare illam usque ad vitae finem, uspiam promisit.

Quam p. 33. ad argumenti mei majorem propositionem ex *Ezech. XI. 19.* reponit instantiam, inepta est. Major enim mea est ex Propheta, *de corde induratorum* abominabili intelligenda; ipse vero pro artificio suo sophistico, subsumit de impiis & hypocritis, quorum corda non semper indurata sunt. Imputet ergo sibi, quod verba clarissima capere nequeat. Quæ deinde ex Hülsemanno oggannit, ex Hülsemanno jam septies confutavi. Si ejus Commentationem in *C. VI. Jer.* integram evolvisset, suam sententiam ibidem confutatam deprehendere potuisset. Sed homines pertinacis ingenii, nullis rationibus cedere, constat: Præsertim si fastus ex nova infula accedat, quem velare Noster amplius nescit.

Nunc velut miles gloriosus jactat, quod Magnifici Dn. D. Hanekenii Meditationem Carolinam non confutaverim. At ille plurima quidem sine genuino sensu confuse dixit, sed mecum tamen circa primariam quæstionem sentit: *dari in hac vita inconvertibiles*; nempe peccatores in Spiritum S. quibus omnis divina gratia ante mortem denegata sit, p. 38. & 78. Cætera quæ ille tradit, nullam refutationem merentur; Cum nihil meditatus sit, quod non  
ab

ab aliis dictum, jamque a me refutatum sit. Neque ego etiam Hercules sum, ut tot aggressores animosos simul omnes statim profligare queam. Quæ de pl. reverendi Parastatæ sui fidelissimi insano molimine, mea sit sententia, jam in Additam. I. p. 45. indicavi. Cujusvis prurientis caput scalpere meum non est, Et quamvis nunc dicta Paulina de induratione repetat, eaque omnia ad suam sententiam, ut ante fecit, incrustandam iterum inflectere nitatur; Si tamen centies illa vindicarem, centies ille sua interpretamenta recineret, dicendo, omnes in sensum reprobum dati sunt convertibiles; quia gratiæ ostium omnibus induratis ad finem vitæ patet. Sic vero impios furore percitos, qua tales etiam convertibiles statuat, necesse est. Inde monitum ego Paullnum *Tit. III. 10.* potius observandam censeo. Probare autem Censor tenetur, ubi in S. Scriptura legatur, *in sensum reprobum datos*, Rom. I. 28. & ἀπηλγηγότας factos, Ephes. IV. 1. conversos fuisse. Affirmanti incumbit probatio. Apostolus sane monet conversos (qui ante non totaliter indurati fuerant) ne in totalem indurationem incidant; utpote, ex qua nulla sit futura eluctatio. Satius fuisset illis, non cognovisse viam justitiæ, 2. *Petr. II. 21.* Hæc si recte intelligantur, concidit Censoris spermologia intricata. Nam ego nusquam terminum fatalem denegatæ gratiæ statui, ut ille calumniatur. Peculiari inspiratione indigere somniat ὁ νεσχευελευός Censor, ad probandum, quod in Epist. ad Rom. I. v. 21. & 28. differant. Sed illa opus non est, cum v. 21. descripti reperiantur, alibi conversi; non item peccatores descripti v. 28. Nec consequitur, omnes gentiles per naturam sunt ἀνόητοι v. 31. Ergo omnes ἀνόητοι in sensum reprobum traditi sunt ex v. 28. ut Censor vult. *Communis & propria* appellatio multum differunt, neque possunt simpliciter juxta sanio-rem dialecticam, converti aut reciprocari. Sed Censor Theologorem meliorum consensum requirit. En *Hülsemanni* πολλῶν ἀν-  
*ταξίς ἀδων* in Jerem. ca. XI. 12. consensum: *Quando ex desertione Dei homo prorsus induratur, atq. NB. in sensum reprobum datur, tantis superinduitur malis, de quibus exire non poterit, & stupore quodam spiritali superatur, de quo dicitur Proverb. XXIII. 34. Rom. I. 28.*

Idem

Item Lutherus, Hunnius, Hutterus; Meisnerus in Anthropol. pag. 290. & ex eo Scherzerus definit. p. 164. Censor, ut est lepidum caput, pag. 35, *sub nomine quorundam*, me, B. Rappoltum intellexisse gannit. At ipsum cum suis asseclis indigitavi. Si Rappoltus credidisset terminum peremptorium ad mortem usque protendi, haut dubie de ejus constitutione, & quidem de termino pœnitentiæ agenda, quicquam memorare omisisset. Inverto igitur: Aliud esse terminum *longanimitatis divinae veluti peremptorium pœnitentiæ agenda constitutum esse*; (quod Rappoltus contra Censoris errorem statuit,) *aliud terminum usq; ad mortem perdurare*, quod Censor *ais d'v'ns* fingit. Quod Christus pro maleficis oraverit, verum est, ex Luc. XXIII. 34. Esa. LIII. 12. Hoc autem factum est *semel*, uti oblatio sui, semel in cruce facta est, Ebr. VII. 25. Rom. VIII. 33. I. Joh. II. 1. Contra vero sicut in diebus carnis gratias egit Patri, quod absconderit mysteria a sapientibus & prudentibus (induratis scil. & refractariis) & revelavit ea parvulis, Matth. XI. 25. Luc. X. 21. ita etiamnum fit. Imo Christus sacerdos, postquam unam pro peccatis obtulit victimam, perpetuo sedet ad dextram, NB. id quod superest expectans, donec ponantur omnes ejus inimici (etiam penitus indurati) sub pedes ejus, Hebr. X. 12. I. Cor. XV. 25. Pro quibus, suos non vult intercedere, I. Johan. V. 16. neque ipse pro talibus amplius intercedet. Probare ergo ex Scriptura tenetur Censor, quod Christus pro induratis usque ad exitum ex hac vita intercedat. Et quid opus erat frustranea intercessione, cum & Christus in cœlis peccata eorum non remitti asserat, quibus ligantur in terris, Matth. XVI. 19. c. XVIII. 18. Censor nœnias suas, tricando p. 37. repetit, ne probare cogatur, quod Paulus in sensum reprobum datos, in dicto I. Cor. VI. 9. sqq. comprehendat. Quod autem Selnecceri verba attinet, ille rationem reddit; cur nonnulli peccatores, in quibus iudicium iræ divinæ ostenditur, raro convertantur; ideo nempe, quia Deus tales deserit, obdurat & in sensum reprobum tradit. Quis inde, nisi occœcatus, eliciat, quod *præcise in sensum reprobum datos*, Selneccerus converti posse existimet, cum potius iisdem illis verbis, id virtualiter negetur? Quis ex

D

verbis

verbis Rappolti exsculpat *indurationem finalem* esse, quæ in ipsa mortē fiat; cum ipse potius l. c. per *totalem* omnium mediorem privationem explicet, quæ non demum in mortē sese exserit. Absurdissimum enim est, dicere hominem in articulo mortis indurari. Quod autem Cenfor p. 37. oggannit, me nullas ejus rationes audire; verum est; quia tantum coccyzat, nullasque solidas rationes adferre novit.

Quis docuit Epistolographum Eph. IV. 17. conversos Ephesios ante fuisse ἀπηληκότες? Forte haruspices. Cur Apostolus Ephesios tam studiose monet, ut ab ἀπαληγσία sibi caveant? Profecto non aliam ob causam, quam quia illa immedicabilis, vel ut Hutetus in Comp. loc. VII. qv. 8. loquitur, *inexpugnabilis* in relapsis futura erat. Pag. 38. iratus Cenfor non videtur capere verba mea, quando scripsi, *posse fieri, ut etiam regeniti in obdurationis judicium post conversionem incurrant.* Quid inde? quærit. Arrigat aures, dicam: Inde consequitur, quod Paulus Ephesios præmonendi causam habuerit, ne in peccatis mortalibus perseverando, indurationem incidant. Inde opinio destruitur, quod illi non ante conversionem, ut quidam irrogeniti, penitus indurati fuerint ἀπηληκότες; posse tamen in talem statum, post conversionem prolabi. Quod autem Apostolus Ephesios monet, *ne amplius ambulent in vanitate mentis*, omnino vanitatem mentis antecedentem respicit; sed quæ non statim infert ἀπαληγσίαν penitus induratis propriam. Ideo opus non erat tot loca parallela τὸ μηκέτι explicantia cumulare. Sed verba, quæ sequuntur, ulteriorem descriptionem gentilium non converforum continent, deque miserrimo eorum statu, in quo gentiles ob indurationem cordis affectatam manserint, in quo excœcati, dolere amplius nescii semetipsos dederint lasciviæ. Hoc modo profecto non accusat conversos, quod jam tales fuerint, quales Apostolus per amplificationem sermonis describit; aut, quod ita, vel pari modo, conversionis gratiam, ut aliæ gentes repudiarint. Quin Ephesios v. 20. potius laudat, *quod non sic* (in tali statu) *didicerint Christum.* Esto etiam, quod tamen non concesserim, ex gentilibus talibus, quales Paulus describit,

bit, quosdam conversos fuisse; non inde consequitur, quod Censor vult, eos ad finem usque vitæ, si centies fiant ἀπηλγηκότες, gratia revocatrix eos maneat. Cum Meisnero noster Scherzerus *Definit. p. 154.* plures affectiones indurationis proprias adducit; nemo autem sanus propterea inficiabitur, illas interdum esse attributa indurationis adhuc sanabilis. Deus quandoque pro libertate sua uni indurato præ altero majorem gratiæ gradum largitur, quam alteri dare non promisit, ut ex Matth. XI. patet, & Form. Concord. artic. XI. p. 813. annotavit. Sed hæc Censor, qui omnibus induratissimis, gratiæ januam usque ad mortem patere contendit, non admittit; etsi ratione destituatur: ne errorem suum agnoscere teneatur.

Ad quæstionem, quam ex B. Selneccero p. 37. proponit, respondeo; Deum per extraordinariam gratiam totaliter induratum convertere posse, sed ut Selneccerus observat, raro id fieri. Unde vero Censori constat, quod hanc gratiam superabundantem & extraordinariam (vicissim quæro,) omnibus induratis offerre & conferre velit? Selneccerus hoc non dixit. Obtulit illam Capernaitis, non Sodomitis, Matth. XI. de loco Ephes. IV. p. 37. squ. toties discussio, quæ iterum puerili more repetit, nolo cum vestro, *Juvenes Optimi*, tadio prolixè discutere. πάντες μία κόνις. Tenetur ille adhuc probare, quod ullus ἀπηλγηκότες, quos Apostolus nominat, conversus sit. Ab ἀπαλγησία connata & simplici, ad malitiosam post regenerationem contractam, N. V. C.

Smalcii Socinistæ sententiam de induratis pag. 40. recinit, ut calumniandi materiam habeat. Smalcii enim verba, quod Deus impios sæpenumero induret, si absque ejus falsis hypothefibus accipiantur, S. Scripturæ congruunt; adeoque simpliciter & in thesi accepta, falsa non sunt. Ipse Scherzerus noster in *Colleg. Anti-Socin. p. 739.* illa admittit: Etsi, quæ inde Smalcus colligit, neget. Ineptus enim est Censor, quod omnia hæreticorum placita falsa putet. Nisi & hoc ipsi Socinianum est, quod Sociniani charitatem & pacem maxime in Christianis requirant, a cujus studio ipsum alienissimum esse, specimina turbarum intra primum præ-

fulatus sui annum edita testantur. Sociniani, Judæi, Muhamedani, Deum esse Creatorem cœli & terræ credunt: Hoc Censor etiam credit; ergo cum Sôcinianis, Judæis & Muhamedanis facit.

At grandem mihi pag. 41. heterodoxiam impingit, quod præfationem D. Carpovii, in D. Schmidii Comment. in Prophetas minores non legerim, ubi Commentarium in Zachariam non Schmidium, sed Balduinum composuisse habetur, quod etiam sub finem epistolæ suæ repetit. An vero hoc error est theologicus? Ego cum Jacobo c. III. 2. libenter fateor, me ab errore non esse immunem. Typhum vero arguit, qui infallibilitatem sibi in quæstionibus facti arrogat velut papalem. Effrons autem (est ipsius dictio) Epistolographi calumnia, quod ego unicum Opponentem elegerim, supra confutata est. Nec minus est falsum, quod ego *PLERUM QUE* per τὸ *SEMPER* exposuerim. *Plerumque* dixi h.l. *sæpe* notare, vel *non raro*: Excipere Balduinus tantummodo extraordinaria exempla voluit. Mihi novellus Censor officias tribuit, quando nihil solidi ad mea argumenta reponere valet. Musæi dicta quædam de regentorum duritie agere garrit, sed nulla ostendit. Notate hic, *Juvenes præstantissimi*, Epistolographi ἀπειθεῖαν, qui culices colare & camelos deglutire solet, Matth. XXIII. 24. Et postquam more suo, pag. 42. in circulo saltasset, nec probare potuisset, illos, quibus πῶτος contigit, aut ἀπηληκότες facti sunt, conversos esse; contra sensum communem negat, a totali induratione, ad finalem valere consequentiam. Sane nemo sanæ mentis Theologus id negare potest. Quia totalis induratio, est etiam perseverans ac finalis; ut in peccatoribus in Spiritum S. videre licet. Ebr. VI. 4. Inepte affectiones indurationis accidentales, quas in disputatione mea nominavi, cum subjecto penitus induratorum vult reciprocari; ut si quis album cum lacte, callidum cum vulpe reciprocare vellet. Hinc tibi per distinctiones responsum est, ridiculus fit & nugatur; quasi nullibi opus sit distinctione inter vocis acceptionem strictam & latam. Sic sane ipsa vox *predestinationis* strictè alias sumenda; late tamen in Form. Conc. accipitur, animadvertente D. Cundisio in not. ad *Comp. Hutter.* p. 797. Huberianus eodem modo, ut no-

ster

ster Epistolographus, eandem exagitat. Sed opponenti meo, juxta suam dialecticam, licet salvis pramissis, negare conclusionem. Falsum est, quod promissio Deuter. XXX. 1. sqq. in Judæis furore & stupore, mentis percussis, impleta fuerit. Qui enim resipuerunt usque ad hoc fuerunt potius reliquæ secundum electionem, ut Paulus Rom. XI. 5. vocat. Locus autem citatus parallelus illi potius est, quem Apostolus Rom. XI. 26. ex Esaia allegat.

B. Tarnovii verba p. 43. allegata, apertissime testantur, quod totaliter indurati non possint ad justitiam Dei pervenire, adeoque converti; ut occæcatum esse oporteat, qui non videat, verba illa conditionata esse. Quis autem dixit, ideo gratiæ januam illis absolute, hoc est, ex absoluto & fatali decreto fuisse præclusam? Sane illis ante indurationem patuit; alias non potuissent, ob neglectam & contemptum mediorem conversionis, indurari. Discrimen particularum ob, & post, quod Censor ignorat, pueri norunt. Antediluvianum non ob, sed post decretum Dei punitivum interiorunt. Id etiam Calvinus & Hunnius, quos p. 44. allegat, velle, ante a me jam demonstratum fuit. v. Calovii *Bibl. illustr. in Psal. LII. f. 1027.* In prima sua *defensione* negaverat, dari peccatores totaliter induratos, jam admittit; adeoque melius profecisse videtur. Utinam totaliter resipisceret! At exigua adhuc spes est, dum πὸς θεοῦ λαεῖ contendit, omnes etiam totaliter induratos, qui ex Job. XII. 39. credere non possunt, convertibiles esse: quia, quod *νενομωμένοι* semper manet, illis gratiæ janua pateret. Inde dicta Hunnii & aliorum secundum quid accipienda, accipit simpliciter. v. *Consens. Orthod.* p. 19. sequi. Hoc autem ex residua omnibus gentibus gratia pedagogica probare vult. Verum qui gratiam Oeconomicam contumaciter contemnunt, illos pedagogica gratia omnibus gentibus communis non poterit convertere. Obstinati Judæi in Ecclesiæ gremio vivebant, verbum Dei audiebant; nec tamen ipsis gratiæ janua patebat; cum ex propria culpa non possent credere, Job. XII. 39. Quin & in Ecclesia, qui alios docent, sunt quidem sal; sed si ille insulsus & infatuatus fuerit, quo salietur? Projicietur &c. Matth. V. 13. Luc. XIV. 35. 2. Petr. II. 12. An his gratiæ janua usque ad mortem patet?

Hülsemanni & D. Isaac. Fausti verba p. 45. probant, quod Deus nullam gentem, absolute, a gratia sua exclusit, quod etiam Paulus Rom. XI. docet, ac a me quoque sæpius inculcatum fuit. Sed quid illud ad rem præsentem? Laudatus enim Faustus cit. loc. conditionate loquitur, additque: *Sed quia hoc (vel hanc gratiam indurati) nolunt, nempe fidem accipere, sua culpa juste* (ex voluntate consequente judiciaria) *pereunt.* Quæ Epistolographus noster ibidem de exemplis induratorum, ut Antediluvianorum repetit, rogo, vos *Juvenes cordati*, pensitate verba mea p. 46. an illa, quod sophisticè fingit, hunc sensum habeant: *gratia Dei salutifera Antediluvianos omnes comitata est usque ad mortem in diluvio.* Nolo in verbis ludere, quod puerile & sophisticum est. vid. *Additam. IV. p. 69.* Brentii & Gerhardi conjecturis, oppono Meisneri sententiam, quæ Scripturæ S. magis conformis; quæ de salvatis incredulis istis nihil habet, nisi quod locum in carcere assignet. *1. Pet. III. 20. conf. Matth. XXIV. 39.* An vero, qui sententiam suam, laceffitus a sophisticis, alibi magis declarat, ideo sententiam mutat? Sic Epistolographum oportet esse vertumno mutabiliorem, qui modo hanc, modo illam distinctionem frivolam assertis suis infarcit, demit, restituit; ut orthodoxus videatur, licet simul quadrata misceat rotundis. De Pharaonis & Judæ induratione ac desertione totali, tot argumenta & testimonia prostant, ut nullis coccyfemis vel clamoribus ista everti queant. De Pharaone *Form. Conc. verba p. 820. & 821.* clarissima sunt. *v. Luther. tom. III. Loc. Genes. f. 206. & Balduin. in c. I. Rom. f. 31.* Si Epistolographus saniorum & accuratiorum Theologorum autoritatem aspernatur, collegæ quondam sui, etsi dum in vivis esset exosi, post fata tamen æstimatissimi sententiam, à me in *Consens. Orthod. p. 29.* adductam admittet. *Hutterus* etiam ante eum in *Explic. Form. Conc. p. 1177.* scripsit; *Servatorem Judam Joh. XIII. 18. ex electorum numero proscripsisse.* Id autem ante ejus suspendium contigit. Ego venerandi *Soceri* mei, qui Epistolographo, ut omnibus litigiosis nunc invisum nomen est, verba, salva thesi mea, admitto. Non enim ex sola particula *VÆ* collegi, Judæ gratiam ante mortem fuisse subtractam. vid.

vid. *Addit. II. p. 38. & IV. p. 37.* Si Epistolographo ullus amor candoris superest, suam sycophantiam p. 48. prober; quod ego expressione indurationis & incredulitatis Judæ, collegerim, eum a gratia Dei necessario exclusum fuisse. Pedanticum, quod fingit sophisticam, non est meum, nec ex verbis meis, sine cavillatione Sophistica exculpi potest. Pudeat Præsulem hujus artis, quem amor veritatis & gravitas decent. *VÆ* conversionis opem aufert; nempe si non attendatur, si susque deque habeatur; si gratia nihilominus fretus audacter cum Juda pecces, & voluntatem Domini sciens, in duplicem ruas pœnam.

Sed pag. 49. Militis gloriosi personam iterum induit, ac ut ad disputandum mecum publice paratus fuisset, si solenni ceremoniarum adparatu fuisset invitatus, & quidem ut solus, non per unum trihorium, sed plura, mecum suos coccyismos conferre potuisset. Hic multa reponi poterant, quibus ipsum imbecillitatis animi convincerem erubescendæ, nisi ipsius muneri parcerem. Quia tamen supra ad has nœnias responsum est, & Epistolographus adhuc ardet in palæstram mecum descendere publicam, ipsum hic publice & solenniter invito; ut finitis feriis, quæ instant, diem, DEO dante, dicat, quo mecum publice coram cœtu eruditorum omnium, vel per duplicata trihoria disputare velit. Thesis hæc unica sit: *NON OMNIBUS INDURATIS GRATIÆ FORES USQUE AD FINEM VITÆ PATENT.* Si ipse, explicato argumentorum suorum adparatu, contradictoriam evicerit, gaudebo, quod tanto doctore & disputatore rectius sapere didicerim. Coram vobis etiam, *Juvenes Nobilissimi*, publice palinodiam canam, Epistolographo pro navata tam gloriosa opera solennissimas acturus gratias. Interim quæ de peccatorum in Spiritum S. *convertibilitate* coccyzat, nescio; an illa palato Magnifici D. Haneckeni sese sint adprobatura. Imo valde dubito, an ejusdem sententiæ oppido falsissimæ, reliqui mei Antagonistæ, ipso hac in parte prudentiores accessuri sint. Sane nullus hæctenus, quod sciam, Theologus inter Lutheranos clarus statuit, peccatores in Spiritum S. quatales, posse converti. Obstat enim Christi sententia *Matth.*

XII. 32. *Marc. III. 29. Hebr. VI. 4.* Prolixe hic & solide D. Feurbornius, Hülfemannus, Scherzerus, Musæus & D. Velthemius in tract. & disput. de hoc peccato, ut notum vobis est, *Juvenes eruditissimi*, demonstrarunt. v. *Scherz. Definit. p. 162. B. Kromeyerus, in Theol. Pos. Polem. articul. VIII. p. m. 524. negat*, Christum pro reprobis NB. *qua talibus passum & mortuum esse.* Hülfemannus in *Vindic. S. Script. p. 97.* istud non tantum de facto esse irremissibile, sed etiam *ex decreto Dei peremptorio & irrevocabili &c.* Quæ Censor ex *Harmonia Evangel. Chemnitio-Lyser.* obvertit, non de peccatoribus in Spiritum S. specificè sic dictis, sed de resistantibus Spiritui S. aut qui videbantur ex obstinato corde, in Spiritum S. contumeliosi fuisse, aperte loquuntur. Ut somniasse oporteat *Censorem*, cum hæc verba pro errore suo palliando transcripssisset. B. *Hunnii* sententia à Dorstheo adducta, quod peccatorum in Spir. S. conversio, non ex parte Dei, sed ex parte hominum, adeoque hypotheticè impossibilis sit, saniores Theologi omnes tradunt. An vero *Christus Matth. XII. 31. 32. 33.* tales adhuc ad poenitentiam cohortatus sit, questionis est, quæ ex Feurbornio & ipso Hunnio juxta scripturam aliter decidi potest. Caterum ego nusquam tradidi, quod nostrates Theologi comminationes Mosaicæ & Propheticas de temporalibus poenis *tantum* exposuerint. Novellis autem & musteis interpretibus, qui supra Magistros suos sapere volunt, novam hanc exegesis tribui. Quem locum ex 2. Paralip. XII. 5. novellus Præsul, ineptissime de gratiosa & spirituali Dei desertione allegari p. 52. garrit, illum incomparabilis Theologus *Hülfemannus in Breviar. cap. XIV. §. 8. p. m. 227.* de eadem simul exposuit. Puto vero hunc longe perspicaciorem novello Censore fuisse, conf. 1. Paralip. XXIX. 9. B. Scherzerus olim cum in collegio privato, hæc argumenta Hülfemanni, de divina desertione exponeret, illud analogicum vocabat. Quia desertionem temporalem respectu impoententium, sæpius desertio spiritualis & æterna illam comitentur, parque colligendi adeo ratio foret. Præterea falsum est, quod ego *Censori* imputaverim, eum *omnes* comminationes legales, *tantum* de poenis temporalibus exposuisse; cum certus sim,

ipsum

ipsum non omnes inspexisse & exposuisse. Et falsissimum est, quod, ut Censor garrit, pag. 53. *perseverans impœnitentia non sit etiam semper finalis.* Hoc cum *Formula Concordia articul. XI. pag. 808. Hutterus in Exposit. & Isagog. Carpzoviana* a B. D. Oleario continuata docent: *Deus in eodem suo consilio (æterno) decrevit, quod eos, qui per verbum vocati, illud repudiant, & Spiritui S. (qui in ipsis per verbum efficaciter operari & efficax esse vult) resistunt, & obstinati in ea contumacia NB. PERSEVERANT, indurare, reprobare & æternæ damnationi devovere velit.* Annon hic *perseveratio in contumacia, idem est ac finalis?* Idem in *Form. Concord. p. 820.* legitur. Et sane quid aliud *perseverare* est, quam durare seu permanere ad finem, vel alicujus rei terminum? Annon Censor ex opposito *perseverantis fidei* id intelligere potuit? nonne *fides perseverans, semper est finalis?* Matth. X. 22. XXIV. 13. Nimis ergo audacter novellus Censor velut ex cathedra pronunciat, quod nemo nostratium Theologorum (nimirum quia ipse omnes legit) impœnitentiæ finali, *perseverantem* substituerit. Præter *Formula Concordiæ* autores I. c. id facit laudata ejusdem *Exegesis Carpzoviana p. m. 1665.* quando negat, quod per excoicationem & indurationem, *ullatenus tollatur universalis Dei misericordia erga peccatores resipiscentes; sed solum asseratur justis vindicis ira erga peccatores malitiose deficientes, & NB. IN MALITIA PERSEVERANTES, atque ita se ipsos in æternum exitium precipitantes.* Non puto ullum sanum Theologum fore, qui *perseverantem impœnitentiam* proprie dictam, non sit habiturus pro *finali.* Nec Meisneri verba a Censore adducta p. 53. obstant, sive præcise, sive in quadam latitudine impœnitentiam finalem accipias. Cujus enim impœnitentia usque ad agonem mortis durat, ac adeo etiam *perseverans* est; non video, cur non etiam *finalis* dici queat. Sane, qui usque ad agonem mortis impœnitentes sunt, ut resipiscere subito in ipso agone queant, nondum audivi. Etsi Censor id satis graviter definiat; *Statuunt ergo &c. Latronis conversi impœnitentiam proprie & vere perseverantem dici posse,* Censori meo,

ob causas supra dictas, non credo. Quicquid ganniat, ut suam opinionem, pro sententia catholica venditet. Probandum adhuc restat, latronem in ipso agone conversum fuisse. Et, si probetur, ejus impoenitentiam, non pro perseverante proprie loquendo haberem: quia non ad finem vitæ duravit. Manassem perseveranter impoenitentem fuisse, falsissimum est. Diutina impoenitentia, non est perseverans. Eleganter de eo, E. Thesaurus in Inscript. p. 372. *ut diutius doleat, nemo diutius regnavit.* Si D. Pfeifferi autoritas apud Censorem valet, illius etiam *Theol. in Nuce* p. 227. dignetur inspicere: **W**tt hat ex voluntate consequente und NB. in Ansehung des menschlichen Verhaltens nur die so da glauben/ das ist/ in wahren Glauben an Jesum Christum NB. bis ans Ende verharren/ zum ewigen Leben erwehlet/ Rom. VIII, 28. und läßt hingegen die / welche gar nicht / oder NB. nicht beharrlich glauben/ aus gerechtem Gerichte verlohren werden &c. Pueri etiam ex Comp. Hutteri, Loc. de *Predest. qu. 5. & qu. 21.* norunt: non esse in electorum numero, *qui in peccatis absque pœnitentia perseverant.* Idem in qu. 22. repetitur. Per me interim M. Bösi libello succenseat. Caveat vero sibi, ne damnando ejus autorem, judicium Dei sibi accersat, de quo forte jam non cogitat. Vos *Juvenes optimi*, Censor primum caput libelli Bösiani legere jubet. Ego vero rogo, vos, ut integrum evolvatis, sic enim de facinore theologico nostri Censoris rectius judicare poteritis. Bösius dixit, quosdam sua culpa æternum exitium evitare non posse. Idem Christus quærit Phariseos: quomodo effugietis judicium gehennæ? Matt. XXIII. 33. Censor, quæ in multis optimorum theologorum libris Germanicis cum reverentia diu lecta sunt; in Bösi libello ideo damnat, quod ille improbè *Pietista* audiisset. Digna Præfule habet, Christiano ratio. Quæ de artificio suarum consequentiarum, quas mihi per vœcordiam affingit p. 55. in mea Paranesi p. 30. jam diluta prostant. Quando autem p. 56. ingeniose fingit, me ex respondente factum esse Opponentem, fallit & fallitur. Nam qui per instantias aut distinctiones Opponentem protelat, aut ad objectiones declinandas, plura argumenta pro sua thesi adducit,  
non

XIII

non ideo vices cum illo permutat ac coccyzat. Licet Censor indignetur, suas oppositiones, per meas distinctiones in Spongiam incubuisse. Ipse certe haud secus, ac Ixion rotæ suæ affixus consequentias suas gyrat, nihilque hac gyratione probat, quod non sit septies elisum. Impudenter ergo totam disputandi scenam pervertere, mihi que tribuere audet, ac si plane nihil ex Scriptura probassem. Sed fraudulentè, ut pauca tantum repetam, omittit ex *Job. XII. 39.* induratos non posse credere, *Hebr. VI. 4.* peccatores in Spiritum S. non posse renovari ad poenitentiam, adeoque esse inconvertibiles. Has probationes ex Scriptura firmissimas praterit, ac ubi oppositiones ejus a voluntate Dei antecedente, sive gratia universali cum Hubero petita, non subsistunt, me principium petere nugatur. Nam & dicta plurima extant voluntatem Dei consequentem demonstrantia; ubi itidem (absit blasphemia) mendax & hypocrita foret Deus, si induratos, denunciata ira & condemnatione, desereret; & tamen promissiones gratiæ illis adplicari vellet, ipsosque blasphemantes & incurabiles peccatores, non minus, quam oves suas amplecteretur. Ostendat vero *Censor*, ubi Deus jusserit post factam unam atque alteram invitationem ad poenitentiam, promissiones gratiæ ad finem usque vitæ induratis obtrudere? Contrarium extat mandatum; nempe ut excusso pulvere de pedibus, viventes adhuc refractarios declinent Apostoli, *Matth. X. 14. 23.* An promissio gratiæ erat, cum Christus Chorazitis & aliis prædiceret, Tyro & Sidoni tolerabilius fore in die judicii, quam illis? *Matth. XI. 21.* An gratiæ promissio erat, cum Paulus malediceret Ananiam, eumque a Deo percutiendum diceret? *Act. XXIII. 3.* Ut nihil de Davidicis imprecationibus, quæ in Psalmis occurrunt, dicam. Quis Prophetarum, quis Apostolorum penitus induratis gratiam Dei promisit? Poenas gravissimas illis, ut desertionem & damnationem, denunciatas fuisse legimus. Promissiones divinæ gratiæ peccatoribus factæ, semper poenitentiam & fidem requirunt, quæ in penitus induratis atque a Deo totaliter desertis nunquam reperiuntur, Luthero etiam nostro teste, in præfat. in

Jeremiam omnibus nota. *Quærit* vero Censor ex me p. 57. unde mihi de illis constet? Ex S. Scriptura respondeo, Joh. XII. 39. seqq. multisque aliis locis a me sæpius adductis. Qui enim per justam Dei excœcationem credere non potest, ille est inconvertibilis. Sed quia homines, in hac vita, tales induratos ac insensum reprobum datos non certo norunt, aut ab aliis discernere sciunt, charitas bene etiam de pessimis hominibus, quamdiu in vita superstites sunt, sperare jubet: nulli mortalium, quoad individuum, gratiam Dei simpliciter denegare convenit; hoc est, thesin de divina desertione totali, non debemus ad hypothesein transferre. Quia non sumus *καρδιογνώσται*, aut induratos, ab aliis improbis discernere possumus. Qui autem oggannit, me p. 58. asseruisse, Prophetas & Apostolos verbum promissionis, extra divinitus revelatam *τάξιν* ac ordinem protulisse, is Sophista & Cavillator manet; donec ex verbis ibidem allegatis, hanc consequentiam liquido probet. Interim indignabundus Censor sui oblitus, jam *αυτοκατάχευε* factus, concedit, quod sæpius ante negaverat, *Deum induratis reduplicative sic dictis, seu quatenus tales sunt, gratiam suam non promississe.* Ne tamen veritati hactenus impugnatae locum simpliciter reliquisse videatur, coccysum suum repetit; hinc non sequi, quod *Deus induratis omnem gratiam denegaverit.* Quasi vero Deus non quandoque gratiam denegat, ut per ipsam abbreviationem vitæ, longius vivendi & convertendi spatium præripiat: quasi ubi minatus est, se improbos gratia sua deserturum esse, & pacem ablaturum, dixisset, dimidiam se relicturum; ac adeo voluntas consequens judiciaria tantum ludibrium foret, aut comminationes Dei pro fulgure ex pelvi habenda sint. v. Levit. XXVI. 25. Deuter. IV. 25. Pl. LV. 24. 31. it. CIV. 35. & CIX. 8. Quæstio enim hic est de gratia conversionis & salvationis. Probet Censor, ubi *induratis, qua talibus, istam gratiam promiserit.* Egregiam vero rationem comminiscitur? *Nam Deus, ait, etiam impiis & hypocritis nondum induratis non promittit gratiam suam quatenus impii sunt & hypocrite, neque tamen Antagonista negat, impiis & hypocritis nondum induratis*

ratis gratia foret pater. Quid audio? Annon Deus impiis & hypocritis, qui & quæ tales sunt, gratiam revocatricem & conversionis offerre promisit? Quomodo enim ex impio fiet pius, si non impio qua tali, ante gratia fuisset oblata? An Christi sententia non amplius valet? non veni ad vocandum justos, sed peccatores ad pœnitentiam: non egent sani medico, sed qui male habent, Luc. V. 31. Marc. II. 17. Paterfamilias Luc. XIV. vult ut omnes esurientes, quatenus esurientes, compareant: at postquam hanc benignitatem contemnunt, vult & decernit; ut contemnentes quatenus tales, cœnam non gustent. Gerhard. de Eccl. §. 77. ubi hanc parabolam adduxisset §. 78. Scholasticorum dictum commendat: *Voluntate prima Deus vult omnem hominem salvum fieri; at voluntate secunda non vult reprobum salvum, in quantum ipse talis est.* Inde mox §. 79. declarat, quod in consequente voluntate respectus habeatur mediorem, prout ab hominibus acceptantur vel negliguntur. Nempe gratia Dei revocatrix, quæ prævenientem semper includit, impio qua tali offertur; sed gratia perficiens, justificationis & conservationis in fide, impio non, qua tali, sed qui talis fuit & se jam converti patitur à Deo, confertur. Atque sic Deus justificat impium, Rom. IV. 5. Mire vero p. 58. 59. argutus est circa *Damasceni* locum explicandum; concedit tamen peccatores à Deo penitus in hac vita desertos (quales indurati sunt) propria malitia fieri *insanabiles atq; perire.* Hoc autem est, quod cum *Meisnero*, ego in Parænesi mea pag. 31. inde probavi. Iste enim induratis denegat omnem gratiam. Hunc ergo vitiligator impugnet, ac τὸ κενώμενον, ὡς δίδουμενον ut hætenus consuevit, sumere desinat. Ut autem voluntas Dei salutis omnium hominum cupida, indurato & damnato etiam superesse dici queat, *Dannbauerus noster Hodof. p. 531.* exponit, Judæque exemplo declarat. Si hunc sensum compositum *Censor* indigitat, concedo, illam voluntatem Dei gratiosam, quæ in Deo nunquam cessat, etiam Judæ & omnibus induratis, in isthoc sensu superfuisse, & superesse. Verum hic quæstio est de applicatione illius voluntatis ad objectum (*convertibile sit, annon,*) in hac vita, quam adhuc probare

**Censor tenetur.** An in viventium numero sint tales indurati, quibus omnis gratia sit denegata, nemo saniorum Theologorum hactenus dubitavit. Ipse D. Hannekenius etiam supra allegatus probavit. Qui credit juxta scripturam in hac vita etiam esse damnatos, Joh. III. 18. Tit. III. 11. 2. Petr. II. 14. 17. 19. Epist. Jud. v. 12. id non negabit; nisi Huberianus sit. Profecto nihil ineptius est, quam dicere cum nostro Epistolographo, Antediluvianos, in perniciem suam propria malitia ruisse; & tamen gratia Dei ante interitum non fuisse privatos. An quis peccatis atrocibus perseveranter immersus, adhuc sub gratia Dei esse potest? Esaias certe negat, cap. LIX. 2. Notatu etiam digna sunt verba in Lubecens. cantionum libello a. 1699. impresso sub finem ejus p. 107. regula vitæ 8. So du einen Willen zur Befehrung in dir merckest und hast/ so dencke/ daß solches die Stimme des getreuen Erb-Hirten Christi Jesu ist/ der dir als ein verlohrenes Schafflein in deinem Gewissen rufft; wirstu diese verachten/ so siehe zu/ NB. daß du von ihm nicht wieder verachtet werdest. Prov. I. 28. Nescio etiam cui *Censor* pag. 60. D. Moebii verba, quod Deus non ex absoluto decreto Antediluvianis perniciem destinarit, opponat. Larvis forte suis. Si mihi, calumniæ reus erit, donec probaverit, me statuisse, Antediluvianos ex absoluto decreto *πανάθεμα* & exitio æterno devotos fuisse. Quanquam Sebast. Schmidius illud decretum Dei *peremptorium* & *irrevocabile* appellare non dubitavit. Hic ita nostrum urit ambitio, ut velare eam amplius nesciat. Egrediet enim, quod *S. R. MAJESTAS POL. ET EL. SAX. GLORIOSISSIMUS* mihi titulum Professoris Theologiae primarii, licet non ex ambitum clementissime contulerit. Cur Censor titulo Præsulis pinguiori, quem per saltum obtinuit, contentus esse non vult? Nisi ambitiosum videretur, probare poteram, me id muneris & honoris extra patriam consequi potuisse, cum ipse adhuc Diaconus esset inferior. Cæterum, an Nabal, cum cor ejus lapidis instar obriguisset, adhuc veræ poenitentia capax fuerit, Aristarcho nostro sapientiores judicent. Quanquam sapientia inflatus, circa finem Epistolæ, pag. 60. nescio quam vi-

tori-

etoriam, ceu Pyrgopolynices, jactat, simulque supra p. 51. jam ab ipso notatum *παεγμα*, de permutato Schmidii & Balduini nomine, iterum pueriliter mihi occinat. Videtur Aristarchus preceptum illud *Luciani*, quo perversum declamatorem instruit, in tota hac sua Epistola egregie observasse: *Postquam vero*, ait ille, *orandum erit, presentesq; argumenta quadam ac sermonum occasiones subjecerunt; universa ea, quotquot sunt, cum indignatione dicantur, vili pendanturq;, tanquam nil penitus ex his virile existat. De illis vero, quæ tute elegeris, cave mediteris, sed quicquid verbi in linguam venerit, effutias. Quin nec hoc tibi cura sit, ut primum quemadmodum primum est, debito proferas tempore, secundum dein, ac tertium post illud; verum quicquid primum inciderit, primum quoq; dicatur; & si ita evenerit, ocrea capiti, tibia vero adeptetur galea; præterea accelera & undiq; connecte, solummodo ne taceas &c.* Quid vero hoc præstitit aliud, quam quod gratiam Dei universalem, secundum ejus voluntatem antecedentem, quam ego nunquam in dubium vocaveram, adstruxerit. Sicuti vero ex causis salutis nostræ, à parte Dei universalibus, non sequitur universalis conversio, justificatio, electio, salvatio; ubi ex parte hominum deest fides, quæ non est omnium, 2. Thessal. III. 2. ita etiam ob illius defectum, multi ex sua culpa, dum adhuc vivunt, gratia illa universali penitus excidunt. Qua destituti, Deo amplius placere nequeunt, Ebr. XI. 6. Of. cap. IX. 12. 15. 17. At, si quam jactat, victoriam obtinere voluisset, solidis argumentis suam *antitbesin*, hoc est; *omnibus induratis fores gratia ad finem usq; vita patere*, demonstrare debuisset. Hinc inde quidem aliquot dicta vellicavit, & sophistarum more, mihi dogmata affinxit, quæ mihi in mentem nunquam venire, nec ex meis verbis, omnibus consequentiarum trochleis adhibitis extorqueri possunt. Verum quod ex hac ignobili & erubescenda pugna, sibi palmam aut triumphum postulet, id, inquam, nec Christianum, nec gloriosum, nec Ecclesiæ nostræ tot aliis periculis obnoxia proficuum est. Per me autem, qui ita proterve lacesitus sum, non stetit, ut scandalum hoc, sane noxium, fuisset cohibitum. Deus, qui omnia

omnia, novit, me abs hac pugna & altercationibus offendiculi  
 plenis, ex animo abhorruisse. Sed tacere non licuit. Deus  
 primis harum turbarum incentoribus ac autoribus hoc peccatum  
 ignoscat. Vos autem, *Juvenes nobilissimi*, qui judicio polletis, &  
 divinam veritatem amatis; vos, inquam, rogo; primo, ut expen-  
 datis, an boni & Christiani moris sit, Collegas suos ita proterve  
 lacescere, diffamare, & deinde culpam in ipsos turbarum con-  
 ferre? *Secundo*, an viri *πεπαιδευμένοι* & eruditi sit, alterius senten-  
 tiæ, quæ tot divinis & humanis testimoniis munita est, antithe-  
 sin opponere, locoque probationis illam subinde repetere, muta-  
 tis tantum verbis; aliorum autem verba innoxia cavillari, stro-  
 phis involvere & antagonistam aculeatis convitiis proscindere?  
*Tertio*, an viri prudentis sit, victoria in erubescenda pugna non-  
 dum obtenta, triumphum canere? Hæc inquam, animo reputa-  
 te, & ut justam pronuncietis sententiam, excutite omnes antago-  
 nistæ mei chartas publicatas, nullum aliud argumentum, quod pro-  
 babilitatis speciem aliquam habeat, invenietis, quam ex Ezech,  
 XVIII. & XXXIII. *quod Deus nolit mortem impii, &c.* sapius repe-  
 titum. Ad hoc cum decies responsum sit, ille ad aliâ dilapsus,  
 jam dicta Scripturæ, à manifesto sensu, in alienum detorquet, jam  
 Theologorum optimorum sententias vellicat, & in suum sensum  
 inflectere nititur; ut imperitis glaucoma facit, ne ipsum errasse  
 credatur. Ego malevolorum & invidorum hominum voces ac ju-  
 dicia interim juxta habeo. Veritatem & pacem, quantum licet, &  
 possum, sector. Christus autem, qui veritatem amat, qui que suis pa-  
 cem acquisivit atq; legavit, dura malevolorum & insidiosorum ho-  
 minum corda emolliat, mentem nostram peccatis purget atq; illu-  
 minet, ut veritatem in verbo suo revelatam recte intelligamus,  
 profiteamur, prudenter tractemus atq; servemus, per Domi-

num nostrum Jesum Christum, Amen! Scribent,

Lipsiæ d. 21. Mart. Anno 1701.

S. D. G.





